



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Ezechiaë Regis. Ergo dixi in dimidio dierum. Isa. 38.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Magnus enim Isacidū Dominus, sanctissimus idem
Ipse tui medium seruat, habetque locum.

CANTICVM EZECHIE REGIS.

Ego dixi in dimidio dierum.

Isa. 38.

QUum medium ætatis tantū viuendo tenerem,
Et tempus rerer mortis adesse tamen,
Sic tristi, ac tacito mecum sum murmure questus:
Hei mihi quòd stygiis tam cito mergar aquis,
Tamque cito ingrediar fauces Acherontis auari,
Antraque splendoris nescia Phèbe tui!
Expendi ad plenos quantum mihi deforet annos,
At deerant numeris tempora multa meis.
Maioresque in luce moras sperare nequibam,
Quòd premerer fati proximitate mei.
Iam mihi viuentes (dixi) non amplius inter
Fas erit ætherei visere templa Dei.
Non ego mortales posthac, velut ante, videbo
Tranquilla pacis commoditate frui.
Lapsa mea est ætas, nostri nec sanguinis ordo
Spem modo promissæ posteritatis habet.
Sic illa à nobis cursu properante recessit,
Tam mea sunt parua tempora facta moræ,
Ut sua transportat celeri tentoria raptu
Pastor, & in fascem complicat illa breuem.
Vita mea infelix velut à texente recisa est,
Et modo viuendi proxima finis adest.
Cœpta mihi fuerant fatali stamina fuso,
Ante diem abrumpens sed Deus illa scidit.
A mane ad tenebras morbo cruciatus acerbo,
Credebam finem prorsus adesse mei:

Post-

Postmodo nox subiit sæui quoque plena doloris:
 Crastina, dicebam, lux meliora feret.
 Quæ simul aduenit, languor præcordia adurens
 Cuncta mea attriuit, ceu ferus, ossa, leo.
 Rursus ab aurora ad noctem sic voce querebar,
 Heu capiet finem iam mea vita suum.
 Mæstitiæ voces vt pullus hirundinis edam,
 Dum queritur matrem tristis abesse suam:
 Vtque columba gemit charo viduata marito,
 Sic mea sub tacito pectore damna gemam.
 Nostra fatigantur spectantia lumina cælum,
 Si spes auxiliij fulgeat vlla tui:
 Vim patior, Domine, & sub iniquo vita laborat
 Pondere, venturæ sis mihi sponsor opis.
 Sed quid ego hæc memoro, vel quæ respõsa daturū
 Sperem, quum nostri causa sit ipse mali?
 Ergo meos annos cruciatu mentis amaro
 Expendam, & vitæ tempora cuncta meæ.
 Quòd si tam miserū est quodcūque hic degitur eui,
 Nostra sit vt tantis fors temeranda malis:
 Nil queritor dextra quòd sim correptus ab ista,
 Quæ postquam occidit, viuificare potest.
 Quum iam pax nobis superatis hostibus esset
 Reddita, quumque foret candida vbique quies:
 Tunc me præcipuè sæui torsere dolores,
 Tunc cum morte mihi plurima lucta fuit.
 Sed tua me pietas tristi subduxit Auerno,
 Vltima nec miserum fata subire tulit.
 Et ne nostra tuos oculos peccata subirent,
 Illa procul vultu post tua terga iacis.
 Haud etenim vitæ celebrant te munere cassi,
 Nigra nec infernæ te colit aula domus.

Non

Non tua defuncti curant oracla, tui nec
 Verbi expectabunt pollicitique fidem.
 Sed viuens, supera qui cęli vęscitur aura,
 Ille tuas laudes, miraque facta canet.
 Sicut ego authorem vitę nunc laudo receptę,
 Quod non facturis funere meruis eram:
 Sic natis memorant, superest dum vita, parentes,
 Quam tribuas dictis pondera certa tuis.
 Quare age continua cęptam firmare salutem,
 Da redeat membris, qui fuit ante, vigor.
 Sic Deus alme tua psallam tibi letus in æde,
 Toque canam vitę tempus in omne meę.

CANTICVM ANNÆ MATRIS SAMVEL.

Exultauit cor meum in Domino.

1. Reg. 2.

IN Domino festos concepi pectore motus,
 Is mihi nunc animos tollere posse dedit.
 Pandere iam lætis sermonibus ora iuuabit,
 Nec metuam sannas turba inimica tuas.
 A quo vno optatę potui sperare salutis
 Munera, lætitiaę hic fons, & origo meę est.
 Sancte Deus, non se sanctus tibi comparet vllus,
 Iusque adeo solus nominis huius habes.
 Sint quamuis vires inuictęque robora multis,
 Nemo potest Domino fortior esse tamen.
 Parcite iactanter vanas cumulare loquelas,
 Garrulitas vestro cedat ab ore vetus.
 Nam nihil ignotum Domino; conceptęque mentis
 Cuncta videns, ea sint qualiacunque, tenet.
 Nunc robustorum vires cecidere virorum,
 Infirmi contra fortiter arma mouent.

Deliciis